

**Tentamen medicum inaugurale, de apoplexia sanguinea ... / eruditorum  
exami subjicit Paulus Baker Warren.**

**Contributors**

Warren, Paul Baker.  
Royal College of Surgeons of England

**Publication/Creation**

Edinburgi : Excudebat P. Neill, 1825.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/hshkjnge>

**Provider**

Royal College of Surgeons

**License and attribution**

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome  
collection**

Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

(13.)

TENTAMEN MEDICUM  
INAUGURALE  
DE  
APOPLEXIA SANGUINEA;

**TENTAMEN MEDICUM**

**D. GEORGI BAIRD, SS. T. P.**

**INAUGURALE**

**DE**

**APOPLEXIA SANGUINEA.**

**PAULUS BAKER WARREN**

**LITHUURGI**

**STUDII S. P. B. S.**

**1857**

(19)

TENTAMEN MEDICUM  
INAUGURALE

DE

APOPLEXIA SANGUINEA;

1850

TENTAMEN MEDICUM  
EX AUCTORITATE REVERENDI ACADEMICI VIRI

D. GEORGI BAIRD, S.S. T. P.

ACADEMIAE TURONENSIS PRAELECTI

SECUNDUM

ANALYSENI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET  
KONFERENTIAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO;

APOPLEXIA SANGUINEA

NUMEROSE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS  
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

PRODUCTIONE EXAMINI SUBIICIT

PAULUS BAKER WARREN

Edipinus

AD CALENDAS AUGUSTI, HORA EQUORUM SOLITIS

EDINBURGI

FACULTATIS MEDICAE

UNIVERSITATIS

TENTAMEN MEDICUM  
INAUGURALE  
DE  
APOPLEXIA SANGUINEA ;

QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI ;

NECNON

AMPLISSIMI *SENATUS ACADEMICI* CONSENSU, ET

NOBILISSIMÆ *FACULTATIS MEDICÆ* DECRETO ;

**Pro Gradu Doctoris,**

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS ;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

PAULUS BAKER WARREN,

*Hibernus.*

AD KALENDAS AUGUSTI, HORA LOCOQUE SOLITIS.

EDINBURGI :

EXCUDEBAT P. NEILL.

MDCCCXXV.

TENTAMEN MEDICUM  
INAUGURALE

DE  
TENTAMEN MEDICUM  
APOPLEXIA SANGUINEA;

INAUGURALE  
ACADEMIAE MEDICAE PRAGENSIS

EX AUCTORITATE REVERENDI ACADEMICI SENATUS

D. GEORGI BAIRD, S. T. P.

ACADEMIAE BOHEMICAERUM PRAGENSIS

APOPLEXIA SANGUINEA  
ANALYSIS ACADEMICI SENATUS ET  
ACADEMIAE FACULTATIS MEDICAE PRAGENSIS

1840 Georgii Baierii

PRAGAE, MDCCCXL  
PUBLISHED BY THE AUTHOR, AT THE UNIVERSITY PRESS

Ex omni tempore, nullus est magis exitiosus et terribilis  
subjectus, nullus est magis exitiosus et terribilis  
densioribus obductus quam Apoplexia. Hic mor-  
bus attentionem medicorum bene meretur, quod  
nullus exitiosorum terminationem saepius habet  
et signa praecipua eius rem magis momenti me-  
dico et pathologo monstrant

PRAGAE, MDCCCXL  
PUBLISHED BY THE AUTHOR, AT THE UNIVERSITY PRESS

TENTAMEN MEDICUM

INAUGURALE

DE

APOPLEXIA SANGUINEA.

---

---

PAULO BAKER WARREN Auctore.

---

---

**E**x omnibus morbis quibus corpus humanum subjicitur, nullus est magis exitiosus et tenebris densioribus obductus quam Apoplexia. Hic morbus attentionem medicorum bene meretur, quod nullus exitiosorem terminationem sæpius habet, et signa præcipua ejus rem magni momenti medico et pathologo monstrant.

## DEFINITIO MORBI.

HIC morbus a Doctore celeberrimo CULLEN, in classe Neurosium et ordine Comatum ponitur, et sic definitur: “ Motus involuntarii fere omnes  
“ imminuti, cum sopore plus minusve profundo,  
“ superstite motu cordis et arteriarum.” Porro novem ejus species enumeravit; sed tractare eas separatim tempus non habeo, et ut species Sanguinea est forma, sub qua hic morbus sæpissime videtur, et ejus accessiones magis subito, et terminatio magis exitialis, de hac solum loquar; quæ a Doctore CULLEN sic definitur: “ Apoplexia  
“ *sanguinea*—cum signis plethoræ universalis et  
“ et præcipue capitis.”

## HISTORIA MORBI.

APOPLEXIA vulgo adoritur in æstate et autumno, et præcipue senes sed interdum juvenes adoritur. Qui habent capita magna et brevia colla, et plethorici, huic morbo sunt obnoxiores.

Dum æger omnibus amicis bene valere videtur, subito concidit quasi fulmine ictus, et exinde hic morbus ejus nomen accepit. Aliquando sub talibus insidiosis formis, et sanitate adhuc infracta, et vita florente; homo trepidat, vel solio ejus labitur, et in terram cadit. Interdum hic morbus subito advenit; et symptomata sequentia vulgo accessionem ejus antecedunt,—capitis dolor, vertigo, sensus gravitatis et plenitudinis, pulsatio arteriarum temporalium violenta, tinnitus aurium, sensus bombi quasi voces hominum uno tempore loquentium: hæc symptomata sæpissime epistaxi comitantur, quo auxilium ex parte et pro tempore detur; mente et loquela indistinctis vel perditis quasi in ebrietate, visus imminutus, aliquando duplex, occæcatio temporaria, ab affectione olfactus, qui interdum ex parte et penitus interdum aboletur, prædispositio ad soporem et lethargiam, linguæ muscoli afficiuntur et vires pharyngis ita imminutæ sunt, ut æger deglutire non possit; affectionibus paralyticis interdum uno membro aut membri parti, et sæpissime musculis faciei affixis ubi contorsionem oris faciunt; vomitus accidit; vires animi demissæ sunt, et æger ad unam rem pro longo tempore non attendere posset, noctes



vulgo sine somno teruntur, anxietas et palpitatio cum impetibus frequentissimis incubus, ægrotum multum torquent, et postea hæ sensationes fiunt molestiores, et morbus adoritur. Sed invenire symptomata varia quod ad numerum et gradum et originem expectimus, nam interdum paucis diebus solum apparent, et alio, mensibus vel annis, antequam æger apoplexiæ paroxysmo affici dici potest.

Quando morbus sine signis antecedentibus adoritur, æger corruit absque sensu vel motu; ejus facies rubra et tumida apparet, capitis vasa, præcipue oculorum et sincipitis, augentur, oculi fiunt opaci, et pupilli dilatantur, palpebræ sunt apertæ et rigidæ, et vires animi penitus abolentur; pulsus in principio est celer, morbo progrediente fit tardus et inordinatus: hoc stadio peracto æger vires musculorum et sensus gradatim recuperat; sed in multis exemplis hemiplegia vel affectus unius lateris manet; mens vulgo afficitur, sensus ac perceptiones sunt minus accuratæ, vox est indistinctus, æger obliviosus et timidus est, et aliqui faciei musculi paralyti generatim afficiuntur. Quando terminatio funesta expectatur, vultus magis magisque rubet et tumet, sanguis ex

ore, naso et auribus ruit, et copiosus sudor toto ex corpore erumpit. Respiratio fit difficilis et convulsiva, et non magis sentitur quam bis terve in horæ sexagesima parte. Pharynx fit insensibilis, maxilla cadit, oculi fiunt magis opaci, convulsiones adveniunt, paralysis musculorum et præcipue sphinctorum adsunt, ita ut fæces invito emissæ sunt; facies fit livida, membra frigescent, pulsus fit magis inordinatus et celerior, omnes vires animi et corporis recedunt; et postremo mors vitam ægroti miseri terminat.

#### SECTIO CADAVERIS.

IN capitibus eorum, qui hoc morbo moriuntur, multa phænomena videntur. In calvam dividendo est sæpe copiosus fluxus sanguinis a venis occipitis et frontis, qui præcipue oritur ex quantitate hujus fluidi in cordis dextro latere\*. Dura mater interdum densatur, et adhæSIONIBUS validis cranio adnectitur; tunica arachnoidea est interdum densa et opaca; pia mater est interdum

---

\* Vide CHEYNE on Apoplexy.

valde vascularis, venæ sunt sanguine subnigro turgidæ, serosa effusio interdum inter tunicam arachnoideam et piam matrem observatur, quæ in specie variat; sanguis extravasus compertur intra cranium, interdum intra membranas, et interdum in substantia cerebri; sanguis coagulatus inventus est in cerebri variis partibus, magnitudine tam largo quam ovum gallinæ\*, interdum inventus est in theca vertebrarum; ventriculi observantur extensi, et continentes quantitatem seri vel fluidi similis infusioni coffeæ. Commeatus inter ventriculos visus est magis patere; jecur inventum est morbosum in multis casibus. Hæc sunt præcipua phænomena quæ in dissectione apparent.

#### DE CAUSIS PRÆDISPONENTIBUS.

Ex præcipuis horum credo sequentes esse enumerandas: Senectus, magnum caput, collum breve, plethora vel sanguineum temperamentum, obesitas, diæta luxuriosa, vita sedentaria, suppressio solitarum evacuationum, intemperantia in usu

---

\* Vol. XIV. of the Med. and Surg. Journal.

spirituosorum liquorum, vitia cordis et arteriarum, et omnia quæ cursum sanguinis in capite augent.

Quomodo hæc agunt in apoplexiam inducendo, paucis verbis explicare conabar. Et primo de *senectute*. Vulgo creditur post certam ætatem ut distensione et pressura sanguinis semper factis, arteriarum tunicæ fiant densiores et distensioni vix cedunt, et igitur accidit ut vires venarum vincerentur et ita venæ sanguine opprimuntur.

*Caput magnum*, in illis, qui magna capita habent, major copia sanguinis ad cerebrum mittitur, propter vasorum evolutionem.

*Breve collum*.—Capite posito juxta cor, vis sanguinis illi est major, et vasis magis tortuosis, liber reditus sanguinis multum impeditur.

*Plethora*.—Hæc agit augenda quantitatem sanguinis in corpore, et ideo inducens plethoram in capitis venis, propter quantitatem magnam sanguinis ad cerebrum missam.

*Obesitas*.—Adeps partibus inferioribus corporis collecta, vasa premit, et per ea sanguinis liberum cursum multum impedit, et exinde sanguis majore copia ad cerebrum mittitur.

*Plena diæta et vita sedentaria* agunt inducendo habitum plethoricum.

*Hæmorrhagiæ suppressæ* eodem modo agunt.

*Immoderatus usus* spirituosorum liquorum etiam sanguinis motum per totum corpus accelerat, sed effectum peculiarem in capite habere videntur, ut patet a vultus rubore, et pustulis quæ erumpunt circa ora illorum qui in usu horum sese indulgere solent.

*Vitia cordis arteriarumque*, tumores compri- mentes ulla arteriarum quæ sanguinem ad partes inferiores vehunt, sanguinis cursum per illas multum impediunt, et igitur major ejus quantitas ad cerebrum mittitur; aut si ullæ valvularum dextri cordis lateris afficiantur, sanguis ibi accumulatur, et hæc accumulatio liberum sanguinis reditum a capite impedit.

Tumores etiam crescentes in cerebro, et ossificationes vasorum ejus, impedentes sanguinis per cerebrum liberum reditum, ad Apoplexiam prædisponunt.

#### DE CAUSIS EXCITANTIBUS.

SEQUENTES enumerenter ut præcipuæ causæ excitantes Apoplexiæ; quidam affectus irritantes

animi, exercitatio immodica, ventriculus plenus, ebrietas, calor externus, tempestatis mutationes, caput deorsum proclive, aliquid nimis stricte circa collum ligatum, et quidquid sanguinis reditum liberum per pulmones impedit, et exinde in dextro latere cordis accumulatur, et liberum reditum a cerebro impedit.

*Animi affectus excitantes.*—Hi ad cerebrum sanguinis fluxum augent, quod videri potest in aliquo valde irato, nam facies tunc florida ac tumida fit, et omnia signa quæ indicant auctam sanguinis circulationem ad caput adsunt.

*Vehemens exercitatio.*—Sanguis actione musculorum ad dextrum latus cordis adpellitur; et ut a fluendo ad corporis superficiem obsistitur, sic ad cerebrum mittitur, ubi muscoli non impediunt, et distensionem ibi facit in vasis, et Apoplexiam inducit.

*Ventriculus plenus.*—Propter ventriculi distensionem liber diaphragmatis descensus impeditur, sanguinis cursus per pulmones imminuitur, et cumulando in cordis dextro latere, liber reditus sanguinis a capite opponitur, et Apoplexia exinde inducitur.

*Calor* agit totum corpus stimulando, et ita ad caput magnam quantitatem sanguinis mittendo.

*Mutationes tempestatis.* Calida in æstate, sanguis magis libere transit in vasis corporis superficiali; si frigus intensum post multum caloris subito applicetur, sanguis ad partes interiores repellitur, et congestionem in aliqua parte interna, vel fortasse prædispositione adstante, in cerebro inducere potest.

*Capite deorsum inclinato,* sanguinis fluxus in id, situ proclivi multum acceleratur, sed sanguinis reditus ejus gravitate multum imminuitur.

*Ligaturæ circa collum.* Hæ agunt venas colli comprimendo, et reditum sanguinis per eas impediendo.

*Ebrietas* agit vasculare systema stimulando, et in caput sanguinis majorem copiam mittendo, et congestionem in cerebro producendo.

#### DE DIAGNOSI.

OMNIBUS symptomatibus consideratis, Apoplexiam ab omnibus aliis morbis facile discernere

possumus. Discernere eam ab Ebrietate tentandum est nobis, si æger stimulantibus excitare possit, an odorem liquoris ardentis exhalat, an pupillæ a lumine subito applicato contrahunt, nam omnia hæc in ebrietate, et non in Apoplexia occurrunt. Si hæc non sufficiant, duratio paroxysmi et exempli historia sunt considerandæ.

Apoplexia, convulsionum absentia, ab Epilepsia distingui potest; aut si ullæ convulsiones adsint, sunt mitiores, et unum latus solum afficitur, et aura epileptica vel stertore et sopore dignoscitur.

A Paralyti facile discernitur, nam unus est effectus totius corporis, alter solum partem ejus afficit, et in paralyti animi vis non omnino perit.

Apoplexia cum Syncope vix confundi potest, nam in syncope vultus est pallidus, quod in Apoplexia raro accidit. In Apoplexia motus cordis et arteriarum manet, sed in syncope pro tempore penitus cessat; in quo respiratio vix percipi potest, dum in Apoplexia fortissime et cum stertore trahitur.

Ab Hysteria discerni potest, nempe globo hysterico et viribus animi manentibus, et ab ægro audiente quid ab astantibus dictum est.



## DE PROGNOSI.

UBI homo hoc morbo semel adortus est, semper aliæ accessioni objicitur, et raro occurrit ut æger bonam valetudinem recuperet; vulgo hemiplegia aut aliquis affectus musculorum post ejus accessionem manet; sed prognosin nostram a symptomatibus præsentibus solum ducere possumus, et ab ægri habitu et ejus modo vivendi. Si æger de dolore capitis subito conqueratur initio accessionis, si prædispositio hæreditaria adsit, si paroxysmus in longum tempus duret, respiratio difficilis et stertorea, pulsus parvus, debilis et intermittens, partes corporis extremæ frigidæ, convulsiones præsentés, profusi viscidi sudores adsint, et si fæces præter voluntatem dejiciantur, prognosis est semper infausta. Sed quando prædispositio non est hæreditaria, et symptomata mitiora, et ei sanguis ex auribus vel alia parte effluat, et si remedia administrata bonum effectum habent, salutarem exitum expectemus.

## DE RATIONE MEDENDI.

CURATIO Apoplexiæ ad tria capita referri potest. *1mo*, Remedia quæ exhibentur quando symptomata apparent quæ Apoplexiam minitantur. *2do*, Quando paroxysmus adest, quomodo amoveatur. *3tio*, Quando paroxysmus amoveatur, quomodo ejus reditus anteveniatur.

*1mo*, Quando rubor faciei, et tensio dolosa sincipitis et oculorum adsunt, cum vertigine, sopore, molestia, pulsatione arteriarum temporalium. et aliis signis, quæ sanguinis abundantiam in capite indicant, administrandum est nobis hæc remedia quæ utilia sint, imminuendo plethoram vasorum capitis. Inter hæc sanguinis detractio locum primum tenet, et trahendum est secundum ætatem et ægri temperamentum. Si hic morbus hominem habitus plethorici minitetur, tunc sanguis mittitur ab arteria temporali aut vena jugulari; sed si æger sit præditus constitutione debili, tunc cucurbitulæ vel hirudines collo aut temporibus applicentur. Etiamsi hoc sit auxilium præcipuum, minora non sunt negligenda, ut cathartica,

epispastica, et cætera; aut si morbus ab suppressione solitarum evacuationum acciderit, eas iterum inducere decet.

ob 2do, Quando paroxysmus adest, quomodo amoveatur.—Æger in cubiculum magnum est removendus, aër libere admittendus; caput erigendum; et omnia quæ liberum reditum sanguinis a capite anteveniunt, sunt amovenda, et nullus in cubiculum admittendus præter illos qui ægro auxilium ferunt; sanguis statim mittendus, et si prima detractio non sufficerit, iterum et iterum detrahendus si necessarium. Si paralysis unius lateris adsit, sanguis est mittendus a latere non affecto, et nullo certo regulo dari potest, quanta copia est trahenda, sed melius est sanguinem fluere permittere, donec pulsus magis naturaliter micat, aut donec aliqua signa salutis redeuntis monstrat. Cataplasmata et fomenta ad partes inferiores applicata interdum sunt perutilia. Affusiones aquæ frigidæ et applicationes frigidæ sunt utiles removendo determinationem sanguinis a capite. Si æger deglutire possit, cathartica sunt administranda, sed dari cum magna cura ne vomitum inducant, et injuriam afferant accelerando sanguinis fluxum ad caput; si æger non deglutire possit,

necessarium erit enema exhibere ad alvum ducendam. Epispastica nuchæ aut inter humeros sunt utilia in auferendo sanguinis a cerebro pressuram.

3tio, Quando paroxysmus amoveatur, quomodo ejus reditus præveniatur. — Necessarium est quum æger recuperaverit sanitatem, et causæ prædisponentes adsint, ut omnes hæ causæ quæ agunt in mittenda majorem sanguinis copiam ad caput vitentur: omnes animi affectus, vita sedentaria, immodica studia et exercitatio vehemens, et omnia quæ sanguinis fluxum ad cerebrum augent, sunt evitanda; viscera cathartici laxa sunt servanda; temperantia in cibo et potu est observanda. Homo huic morbo obnoxius parca diæta uti debet, et præcipue vegetabili. Missio sanguinis ab aliquibus laudatur; sed esse injuriosum potius credo, nam plethoram inducit, et hæc prædispositionem ad Apoplexiam dat. Setacea in nucha multum laudantur; caput in lecto erigendum, et ligaturæ circa collum non sunt utendæ; subitæ mutationes a calore ad frigus sunt evitandæ, et omnia quæ anxietatem et curam inducunt.

FINIS.

